

V.

DE VERBIS PSALMI :

HERODII DOMUS DUX EST EORUM

AD LUDOVICUM GERMANIE REGEM.

(Apud eundem, ex codice S. Romigii Rhemensis.)

LUDOVICO regi glorioso HINC MARUS, non merito Rhemorum episcopus, plebis Dei

quando in Tusiaco cum domino meo rege et fratre vestro locuti estis, sicut bene scialetis, quadam die, accersito Alfrido episcopo, apud exiguitatem meam, securitatem vobis a Deo datam, de quibusdam sententiis abditis et difficilioribus sententiis subtiliter investigare cepistis, de quibus, dominus dedit, et opportunitas temporis acceperit, respondere curavi. Sed inquisitio vestra processit, ut et quaesitum atque discutit, cum juxta veritatem Scripturae Genesim opera Dei bona sint valde (Gen. 1); quod et Apostolus dicens : *Omnia sunt munda* (1 Cor. 15); et : *Nihil rejiciendum quod cum ratione percipitur* (1 Tim. 4); cur in lege interdum immunda et non percipienda Dei tribuantur. Et cum quaestio traditione carens exstitit absoluta, interrogastis quid sibi in Psalmo canitur : *Herodii domus dux est eorum* (Psal. ciii, 18). Ad quae praecipue vos ut Saxo genere ac per hoc naturalis primum me paratior in sermone, Alfridus Veronicus episcopus dixit, quod Interpretum septuaginta diceret : *Fulicæ domus est eorum*. Cum respondere inciperem, quia duo sunt genera pelicanorum, sicut et duo sunt genera pelicanorum in centesimo primo psalmo ad discrepantiam addimento canitur : *Semilis factus sum pellicani* (Psal. ci, 7), quia est et alterius generis scilicet pelicanus, supervenit dominus Carolus unicus frater vester, et cum meo perrexistis ad annuntiandum vestris in propter conventus vester exstiterit : et in virtuti meae vestris bonis desideriis inveniit, et promississe me meminisse, ut quod sperare debueram, scripto alligare, et vestrae studerem transmittere. Quod consequendi opportunitatem non habui, sed quae ex magnorum inde traditione disceptationis auribus intimare, et promissum debitum exsolvere procuravi. De hoc, interpretante beato Hieronymo, Hieronymus ita habet : *Saturabuntur ligna campi, quas plantasti, ibi aves nidificabunt, milvi domus ejus* (Psal. ciii, 16). Septuaginta autem translatio, quam tertio, plurimis eam beatus emendavit Hieronymus, primo

quidem Romae, secundo Bethleem ad Paulam et Eustochium ipsis petentibus, deinde ad Sunniam et Fretelam scribens, sicut in ejus invenitur epistolis, et quam ipse exposuit, quae Hierosolymitae et Orientis Ecclesiae, sed et nunc Galli utuntur, ita dicit : *Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani quas plantavit, illic passeret nidificabunt, herodii domus dux est eorum*. Translatio vero communis, quae est vulgata, sic habet : *Saturabuntur omnia ligna campi, et cedri Libani quas plantasti, illic passeret nidificabunt, fulicæ domus dux est eorum*. De qua translatione beatus Hieronymus praefata epistola ad Sunniam et Fretelam ita dicit (epist. cxxxv) : « Breviter admoneo, ut sciatis aliam esse editionem, quam Origenes et Caesariensis Eusebius, omnesque Graeciae tractatores κοινήν, id est communem appellant atque vulgatam, et a plerisque nunc Λουκιανός dicitur, aliam septuaginta Interpretum, quae in hexaplis codicibus reperitur, et a nobis in Latinum sermonem fideliter versa est, et Hierosolymae atque in Orientis Ecclesiis decantatur. » Et item idem in eadem epistola : « Κοινή autem ista, hoc est communis editio, ipsa est quae est in Septuaginta. Sed hoc interest inter utramque, quod κοινή, pro locis et temporibus, et pro voluntate scriptorum, vetus corrupta editio est : ea autem quae habetur in hexaplis, et quam nos vertimus, ipsa est quae in eruditorum libris incorrupta et immaculata septuaginta Interpretum translatio reservatur. Quidquid ergo ab hac discrepat, nulli dubium est quin ita et ab Hebraeorum auctoritate discordat. » Hanc autem communem editionem, quae dicit *Fulicæ domus dux est eorum*, qua tunc temporis omnes pene utebantur Latini, exposuit B. Augustinus, et post eum Prosper, deinde Cassiodorus. De qua volucre dicit B. Augustinus : « Fulicia, sicut omnes novimus, marina avis est; vel in stagnis est, vel in mari est. Habet quamdam domum, non facile in littore terrae, aut nunquam; sed in iis quae in media aqua sunt : plerumque ergo in petris quas aqua circumdat. » S. quoque Prosper : « Domus, inquit, fulicæ quae marina est avis, non est in terrae foraminibus, neque in ramis arborum, sed in petra quae aqua sit circumdata : petra vero intelligitur Christus. » Et Cassiodorus ex B. Augustini et Prosperi in expositione de Sensibus : « Fulica mansucta avis et nigra est, anate quidem parvior, sed corporis positione consimilis, quae in stagnis delectabiliter commoratur. Haec ad baptizandos bene refertur, qui in sacratissimi fontis gratia perseverant. Horum itaque mansiones, id est baptizandi perseverantia, dux

est passerum qui in cedris nidificant : scilicet quia omnium Christianorum sacer fons dux est, dum eos ad cœlorum regna perducit. » In libris denique Physicorum, qui de naturis volucrum, animalium, et serpentium, et arborum, atque herbarum scripserunt, de eadem ave ita relegi : « Fulica, inquit, dicta est quod caro ejus leporinam sapiat. Lagoos enim lepus dicitur : unde et apud Græcos λαγώς vocatur. Est enim avis stagnensis, habens nidum in medio aquæ, vel in petris quas aquæ circumdant, maritimoque semper delectatur profundo, quæ dum tempestatem persenserit, fugiens in vado ludit. » Sed et in eisdem libris legi quæ subjungere procurabo, unde puto, sicut et vos poteritis conjicere, quia Symmachus fulicam pro herodio transtulit. Scribunt enim iidem physici, dicentes diomedias aves a sociis Diomedis appellatas, quos ferunt fabulæ in easdem volucres fuisse conversos, forma fulicæ similes, magnitudine agnorum, colore candido, duris et grandibus rostris. Sunt autem circa Apuliam, in insula Diomedia inter scopulos littorum et saxa volitantes. Judicant inter suos et advenas. Nam si Græcus est, propius accedunt et blandiuntur : si alienigena, morsu impugnant et vulnerant, lacrymosis quasi vocibus dolentes vel suam mutationem, vel regis interitum. Nam Diomedes ab Illyriis interemptus est. Hæ autem aves Latine diomediæ vocantur, Græci eas herodios dicunt. Hinc beatus Hieronymus in præfata epistola ad Sunniam et Fretelam dicit : « Pro herodio, quod in Hebræo dicitur asida, Symmachus λαινον, id est milvum, interpretatus est. Denique et nos ita vertimus in Latinum : *Ibi aves nidificabunt, milvi abies domus est* : quod scilicet semper in excelsis et arduis arboribus nidos facere consueverit. Unde et sexta editio manifestius interpretata est : *Milvo cupressus ad nidificandum*. Pro abietibus autem et cupressis in Hebræo ponitur barusim, quod magis abietes quam cupressos significat. » Et quia duo sunt, sicut vobis tunc dixi, herodiorum genera, demonstrant beatus Hieronymus atque sanctus Gregorius. Unum videlicet majus, quod nunc ex verbis physicorum ostendi, de quo et B. Hieronymus in expositione hujus versus dicit : « Illic, inquit, passeret nidificabunt, sapientes ædificabunt herodii, hoc est herodii domus dux est eorum. Major est enim omnium volatilium, qui aquilam vincit et comedit. Alterum minus, de quo est in libro Job scriptum : *Penna struthionis similis est pennis herodii et accipitris* (Job xix, 13). » Unde beatus dicit Gregorius (*Moral.*, lib. xxxi, cap. 5) : « Quis herodium et accipitrem nesciat aves reliquas quanta volatus sui velocitate transcendat? Struthio vero pennæ eorum similitudinem habet, sed volatus eorum celeritatem non habet. A terra quippe elevari non valet, et alas quasi ad volatum specie tenus erigit, sed tamen nunquam se a terra volando suspendit. » Et item : « Accipitris quippe et herodii parva sunt corpora, sed pennis densioribus fulta, et idcirco cum celeritate transvolant, quia eis parum inest quod ag-

gravat, multum quod levat. At contra struthio raris pennis induitur, et immani corpore gravatur, ut etsi volare appetat, ipsa pennarum paucitas molem tanti corporis in aere non suspendat. Hæc quoque ipsa struthionis penna ad pennas herodii et accipitris similitudinem coloris habet, virtutis vero similitudinem non habet. Illorum namque conclusæ et firmiores sunt, et volatu aerem premere virtute suæ soliditatis possunt : at contra struthionis pennæ dissolutæ, et volatum sumere nequeunt, quo ab ipso quem premere debuerant aere transcenduntur. »

Hinc juxta litteram de fulica et herodiorum generibus ex magnorum scriptis vestræ dominationi secundum jussionem vestram scribere studui. Cæterum quia nec vos jussistis, nec indigetis, quem Dominus docet qui docet hominem scientiam, et a cujus facie est sapientia et intellectus, juxta typicam vel moralem intelligentiam quæ hinc catholici doctores tractaverunt, vobis latius scribere non præsumpsi, ne referretur mihi illud poeticum :

Tu ne forte feras in silvam ligna viator.

Sed ne in totum præterisse mysticum sensum viderer, quædam potius significare quam exponere censeo. *Saturabuntur*, inquit Psalmus, *ligna campi*, id est plebes populorum, gratia spiritali, et *cedri libani*, id est nobiles atque sublimes mundi, *quas Dominus plantavit* (Psal. ciii, 17), qui etiam de divitibus et illustribus multos justificavit, qui dicunt : Ipse fecit nos et non ipsi nos, quia sicut nos homines et illustres, ita nihilominus et justos fecit. *Illic passeret nidificabunt*, scilicet in istis cedris Libani, quas gratia Dei plantat et satiat, nidificabunt passeret, hi videlicet qui elegerunt humilitatem, et relictis quæ habebant aut venditis, nihil sibi in hoc sæculo reservarunt, sed divitum Christianorum domibus agrisque susceptis necessariis solatiis adjuvantur. Qui tamen licet in cedrorum altitudine requiescant, non ipsis cedris ducibus utuntur, sed domus herodii dux est eorum. Herodius enim majoris generis, ut verbis Hieronymi diximus, major est omnium volatilium, qui aquilam, quæ rex volatilium sicut leo est bestiarum, vincit et comedit. Sæpe enim in Scripturis per aquilam significatur diabolus, et juxta evangelicam veritatem, fortem armatum custodientem atrium suum, et in pace sua possidentem, id est fortem diabolum, mundum qui in maligno positus est, usque ad adventum Salvatoris male peccato potentem imperio, fortior superveniens Christus vicit, et universa ejus arma in quibus confidebat abstulit, et spolia ejus, quod est insigne triumphantis, distribuit, quoniam astutias ejus dextruxit, et hominibus deceptis ab eo salvatis, captivam ducens captivitatem dona distribuit (*Luc. xi*), id est Spiritus sancti dona, quæ Apostolus enumerat, pro uniuscujusque captu donavit. Cujus herodii domus, id est rectores Ecclesiæ, dicente Paulo quæ domus sumus nos, duces passerum, mundi videlicet contemptorum, super egenum et pauperem intelligentium, sumptibus sustentatorum

esse noscuntur. Et nec in minore herodii genere hæc intelligentia abhorret a vero, cum dicitur : *Herodii domus dux eorum*. Quia juxta Apostolum, Christus, cum dives esset propter nos pauper factus est, ut nos ipsius inopia ditaremur (*II Cor. viii, 9*). Et propheta de illo dicit : *Vidimus eum et non erat aspectus*, et cætera, usque dum, *nec reputavimus eum* (*Isa. LIII, 3*). Qui nobis reliquit exemplum ut sequamur vestigia ejus. Cujus herodii domus dux est passerum, id est mundi contemptorum : quia sæpe etiam in sæcularibus, in quorum cordibus per fidem habitat Christus, et in quorum opere ipsius lucent exempla, non solum ecclesiastici vel monachi, in subditis prælati, in privatis regia potestate præcelsi, videre valent quod imitentur : verum et unde se reprehendant et erubescant, quia sunt interdum minores merito, qui sunt majores nomine, et laudabiliores sanctitatis infructuoso honore. Unde propheta dicit : *Erubescet Sidon. Ait enim mare, fortitudo maris dicens* (*Isa. xxiii, 4*). Per Sidon quippe, religionis nomine quasi quadam fortitudine muniti et decorati, per mare autem sæculares intelliguntur, qui ut verus herodius velocitate volatus et magnanimitate virtutis, quasi capiens volucres semen juxta viam comedentes, id est daemones verbum de corde audientium tollentes ne credentes salvi fiant, coercet et comprimit, ne tantum possint tentare homines, velut docet : *Discite, inquit, a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth. xi, 29*), parvi sunt apud se in corde, et apud homines laude. Qui etsi cura rei familiaris ac terrena fragilitate aggravati, quando in hac vita sunt sine culpæ contagio esse non possunt, tamen cum eis inest quod

deprimat, multa virtus bonæ actionis suppetit quæ illos in superna sustollat. Unde cum maximo timore ac tremore, cumque maxima sollicitudine continue considerare atque timere debemus, ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi gravius inde judicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior atque ad servendum promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspiciat in reddenda ratione. Sciens quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur, et juxta Scripturæ sententiam : *Potentes potenter tormenta patientur, exiguo conceditur misericordia* (*Sap. vi, 7*).

Accipite ista succinctius dicta. Si autem jusseritis, et de hoc et de aliis Scripturæ sacræ sententiis, et pro imposito ministerio, et pro debita vobis obedientia, quoniam apostolica auctoritas obedire in Christo et subjectos regi nos esse debere commendat, sciens scriptum vobis : *Interroga sacerdotes legem meam* (*Agy. ii, 12*) ; et nobis : *Audiens ex ore meo, sermonem, nuntiabis eis ex me* (*Ezech. xxxiii, 7*), quæ ad salutem et instructionem eruditionis vestræ proficere poterunt, libentissime quantum ipse dederit, qui fideli servo promittit : *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud* (*Psal. lxxx, 11*), et verbis et litteris disserere et vobis explanare curabo.

Tempora concedat Christus felicia regni
Hujus et æterni rex, tibi chare mihi.
Floreat æternis tecum sapientia donis,
Ut tibi permaneat laus, honor, atque salus.
Dextera te Christi semper defendat ubique.
Vive Deo felix, et sine fine vale.

VI.

AD EPISCOPOS ET PROCERES PROVINCIAE RHEMENSIS

DE FIDE CAROLO REGI SERVANDA

Cum Ludovicus iterum Caroli fratris sui regnum, illo absente, impeteret anno 855.

(Apud eundem, ex edit. Mogunt. J. Busæi.)

HINC MARUS episcopus ac plebis Dei famulus dilectis fratribus et venerabilibus episcopis Rhemorum dioceseos.

CAP. I. De communi anxietate nostra, de qua exiguitatem meam dilectio vestra consuluit, proponens mihi verba sancti Bonifacii papæ, quibus dicit ad Hilarium Narbonensem archiepiscopum, exponens capitulum Nicæni concilii de privilegiis singularum provinciarum : « Advertat, inquit, charitas tua, adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet, » quæ donante Domino ex doctrina Patrum nostrorum sentio scriptis vestræ charitati respondeo. Sanctus Ambrosius in epistola

ad Theodosium Augustum inter cætera dicit (*epist. 29*) : « Non est imperiale, libertatem dicendi negare, neque sacerdotale, quid sentias non dicere. Nihil enim in vobis imperatoribus tam populare et tam amabile est, quam libertatem etiam in his diligere, qui obsequio militiæ vobis subditi sunt. Siquidem hoc interest inter bonos et malos principes, quod boni libertatem amant, servitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines quam quod sentiat non libere pronuntiare. Siquidem scriptum est : *Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar* (*Psal. cxviii, 46*). Et alibi : *Fili hominis, speculatorem te posui domus Israel* (*Ezech. iiii, 17*). In eo, inquit, ut si avertatur justus a justitiis suis